



FRidericus, cognomēto Nausea appellatus, ex Franconia Orientali natus est. Is egregia in dolo & felici ingenio præditus ab ineunte ætate literis operam dedit, & in uirum doctissimum evasit. Itaq; multorum acclamatione S. Theologiæ et Legum Doctor creatus est. Cum hoc modo Erasmo familiaris multis innotesceret, ac singulari facūdias præditus esset, Ferdinandus rex eum sacris concionibus præfecit, & tandem Ioanni Fabro in Episcopatu Viennensi substituit, anno 1541. In ea dignitate cōstitutus nihilominus multoties populum suę fidei commissum publica concione instituit, atq; aduersarij Lutheri et eius sectatoribus magno animo restitit. Cum autem Euāgeliū doctrina atq; sacrarum literarum sensus ei esset notissimus, multoties expetijisse dicitur, ut Romanus pontifex cum suis episcopis tandem saperet, atq; piam reformationem institueret. id quod cum multis alijs pijs & doctis uiris commune habuit. Itaq; cum in Tridētina synodo in magna autoritate esset, atq; plura colloquia in dagañdæ ueritatis causa cum Protestantibus seriò institueret, & etiā errores quosdam inueteratos carperet, quibusdam Romanę ecclesiæ proceribus suspectus esse cœpit. Verū ipse nihilominus pergens, nullum personarum respectum habuit, atq; scribedo, concionando, & libris edendis utrancq; partem pro sua uirili ad concordiā adhortatus est, quid autem effecerit, præsens rerū status satis indicat. Vuolff. Lazius,